

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Fab. II. Ranae Regem petentes.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

## FAB. II.

*Ranae Regem petentes.*

Athenae cum florent aequis legibus,  
 Procax libertas ciuitatem miscuit,  
 Frenumque soluit pristinum licentia.  
 Hinc conspiratis factionum partibus,  
 Arcem tyrannus occupat Pisistratus. 5  
 Cum tristem seruitutem flerent Attici,  
 Non quia crudelis ille, sed quoniam graue  
 Omne infuetis onus; et coepissent queri:  
 Aesopus talem tum fabellam rettulit.  
 Ranae, vagantes liberis paludibus, 10  
 Clamore magno regem petiere a Ioue,  
 Qui dissolutos mores vi compesceret.  
 Pater Deorum risit, atque illis dedit  
 Paruum tigillum, missum quod subito vadi  
 Motu sonoque terruit pavidum genus. 15  
 Hocmersum limo cum iaceret diutius:  
 Forte vna tacite profert e stagno caput,  
 Et, explorato rege, cunctas euocat.  
 Illae, timore posito, certatim adnatant,  
 Tignumque supra turba petulans insilit. 20  
 Quod cum inquinassent omni contumelia:  
 Alium rogantes regem misere ad Iouem:  
 Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.  
 Tum misit illis hydrum, qui dente aspero  
 Corripere coepit singulas: frustra necem 25  
 Fugitant inertes: vocem praeccludit metus.  
 Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iouem,  
 Afflictis vt succurrat. Tunc contra Deus,  
 Quia nolulistis vestrum ferre, inquit, bonum;



Malum perferte. Vos quoque, o ciues, ait, 30  
 Hoc sustinete: maius ne veniat malum.

*Omnis mutatio periculosa.*

Cum Athenae iustis florerent legibus: immoderata passim visa est ciuitatem vexare libido, et imperii impatiens quisque libertatem anhelauit. Variis ergo obortis factionibus, Pisistratus tyrannus occupat arcem. Hanc adeo tristem cum Athenienses deplorarent feruitutem, suaque accusarent fata, non quod regis premerentur crudelitate, sed quod iugo non didicerint subdere collum: sequentem Aesopus narrauit fabulam. Ranae, paludibus ac stagnis libere vagantes, clamoribus magnis a Ioue regem petierunt: vt poenis ciuium comperceret insolentiam. Subridens Iupiter paruum illis dedit tigillum: quod subito demissum maiori strepitu ranis trementibus terrorem incussit. Cum vero diutius immotum haereret limo: vna forte prospicit rana, et, regis viribus exploratis, euocat omnes. Illae certatim sine timore adnatant, et in lignum petulantes infiliunt. Quod cum satis contumeliose tractassent: mittunt ad Iouem, qui alium sibi regem expeterent; quoniam, qui datus fuerit, inutilis esset. Illis ergo hydrum mittit, qui obuias sibi, quotquot corripere potest, dilaniat crudeliter. Ranae imbelles ac miserae obmutuerunt prae metu, et regis sui tyrannidem frustra vitare, et saluti consulere studuerunt. Rebus desperatis, clanculum ad Iouem supplicatum



eatum mittunt oratorem Mercurium, vt sibi  
 misere afflictis et oppressis subueniret. Deus  
 vero, nihil vobis, respondet, superest solatii,  
 vel auxilii: et iugum regis mali iam subeun-  
 dum est merito: quoniam, qui vobis praeesset,  
 bonum ferre nolulistis. Et vos, o ciues, Aeso-  
 pus tum Atheniensibus dixit, quod euenit, ae-  
 quo sustinete animo: ne maius inde vobis ma-  
 lum oboriatur.

## F A B. III.

*Graculus superbus et Pauo.*

Ne gloriari libeat alienis bonis,  
 Suoque potius habitu vitam degere:  
 Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.  
 Tumens inani Graculus superbia,  
 Pennas, Pauoni quae deciderant, sustulit,  
 Seque exornauit: dein contemnens suos,  
 Formoso se pauonum immiscuit gregi.  
 Illi impudenti pennas eripiunt aui,  
 Fugantque rostris. Male multatus graculus  
 Redire moerens coepit ad proprium genus: 10  
 A quo repulsus tristem sustinuit notam.  
 Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:  
 Contentus nostris si fuisses sedibus,  
 Et quod natura dederat voluisses pati:  
 Nec illam expertus esses contumeliam, 15  
 Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

*Candide et constanter.*

Ne quis conetur alienis gloriari bonis: vi-  
 vere contra studeant omnes rationibus suis  
 conuenienter: hanc nobis fabulam Aesopus